



**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XVII. Vtrùm necesse sit homines rectè judicare posse de
probabilitate, ut sectando probabilia non peccent? Quisque de
probabilitate rectè judicare possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUÆSTIO DECIMA- SEPTIMA.

Virum necesse sit homines rectè judicare posse de probabilitate, ut sectando probabilia non peccent? Quiq; de probabilitate rectè judicare possint?

Intentum Celladei in hac quæstione.

CELLADEUS postquam lib. 1. quæst. 9. ostendere conatus est, conscientiam sequentium opiniones probabiles non fundari in eorum auctoritate, qui docent probabilia esse licita, sed solum in propria sua, vel consultoris sui opinione, hoc non contentus eandem materiam totâ quæst. 10. mirabiliter versat, contenditque neminem, directæ moralis scientiæ ignarum, generali illâ doctrinâ de licito probabilium usu, ad praxim juvari posse, eò quod soli talis scientiæ periti de probabilitate rectè judicare possint, quod tamen ad licitum probabilium usum ex mente Auctorum, usum probabilium approbantium, prorsus requiri contendit. Porro in hac quæstione mirum est, quàm contemptim de Casuistis, ac Summarum compilatoribus loquatur. Vocat eos historicos, meos reflexistas, omnisque scientiæ moralis prorsus ignaros. Verùm ut ingenuè fatear, Celladeus æquè infeliciter in hac, ac in superiori quæstione discurret; nam ex mira rerum confusione ac indistinctioe plura apertissimè falsa depromit, & pro indubitatis apertissimisque veritatibus vendit; quæ tamen omnia, si debitâ ac familiari distinctione in suas classes distinguantur, sponte in auras avolant; uti, Deo favente, in hac ipsa quæstione constabit. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Nemo excusatur ex vi benignæ sententiæ, qui de probabilitate rectè judicare nequit.

Nemo in probabilium usu excusatur ex vi benignæ sententiæ, qui signatè vel exercitè non possit rectè judicare, imo qui non rectè judicat de probabilitate opinionis, quam sequitur.

2. PROBATUR. Benigna sententia solum asserit, eos esse tutos in conscientia, qui sequuntur opinionem ipsis certò probabilem. Ergo nemo per benignam sententiam excusatur, nisi qui certò scit opinionem, quam sequitur, esse probabilem. At qui hoc certò scit, vel exercitè vel signatè rectè judicat de probabilitate, alioquin non posset certò scire illam adesse. Ergo ex præscripto & mente Auctorum benignæ sententiæ, usus probabilium illis solum licet, qui de probabilitate rectè judicant. Præterea Auctores illius sententiæ expressè dicunt, non omnem opinionem, sed solum opinionem probabilem, id est, opinionem, non levi & superficiali, sed gravi & solido argumento nixam, ad conscientiam debitè formandam sufficere. Ergo ut quis

ex illius præscripto rectè operetur, necessariò debet tale fundamentum habere. At qui prorsus nescit rectè judicare de probabilitate, seu de talibus fundamentis, non potest scire, an tale fundamentum adsit, nec ne. Ergo qui prorsus nescit rectè judicare de probabilitate, non potest esse tutus ex vi benignæ sententiæ, & Auctorum, qui illam unanimi consensu tradunt. Hæc vera sunt, ut jacent; sed nisi debitè ac distinctè intelligantur, apta sunt ad confusiones & æquivocationes causandas, prout in Celladeo causarunt, uti mox apparebit. Sit ergo.

ASSERTIO II.

Nemo rationis compos est tam simplex, qui tam exercitè quam signatè sape non possit de probabilitate extrinsecâ rectè judicare, atque probabilia ab improbabilibus discernere.

Omnes rectè judicare possunt de probabilitate extrinsecâ.

3. PROBATUR. Fœminæ ignorantissimæ, sed & pueri, vix usum rationis adepti, evidentè sciunt, quæ sit, quæ non sit auctoritas sufficiens ac prudenter judicandum. Audiat fœmina vel puer aliquem, qui vulgò Idiota reputatur, dicentem aliquid licere, de quo ipsi dubitant an liceat nec ne. Uterque optimè videt, auctoritatem illius Idiotæ non sufficere, ut in verbo illius tutâ conscientiam facere possint quod Idiota ille proponit ut licitum. At si fœminæ & pueri à Parocho, aut ab alio publico Confessario, qui vulgò probi & periti habentur, petant an ipsis tale quid liceat, si ille affirmet, ipsi statim quiescunt, & exercitè vident se prudenter illi fidem dare. Ergo exercitè discernunt motivum grave & probabile à levi & improbabili. Ergo nemo mentis compos tam rudis est, qui ista discernere, atque de istis rectè judicare non possit.

Nec exercitè solum dictis illius prudenter credunt, sed reflexè etiam clarè sciunt, se illis rationabiliter fidem dare, atque ideo reflexè sciunt, se tutos esse in conscientia, si ea in praxim reducant, quæ Pastor ejusmodi in rebus dubiis proponit ut licita.

4. Quod si fœmina, de sufficientia sui Pastoris dubia, non audeat dictis illius stare, petere potest à tribus aut quatuor Theologis peritissimis, quibus Pastoris sufficientia bene perspecta est, an sibi liceat in dubiis sui Pastoris dictis stare; si illi respondeant affirmativè, illa absque dubio in posterum licitè dictis ejus inhaeret, & optimè novit, se habere motivum sufficiens ad creden-

Quid agentium, quando rudes est sui Pastoris sufficientia dubitant?

credendum, id sibi licere, quod Pastor dicit. Verum in eo casu fundat dictamen suae conscientiae, non in Pastoris auctoritate, sed illorum Theologorum, quos hac de re consuluit. Sic enim loquitur: *Licetam mihi est facere quod Theologi illi dixerunt mihi esse permissum. Illi dixerunt, licetum mihi esse me conformare resolutioni Pastoris. Ergo hoc particulare mihi licitum est.* In hoc syllogismo auctoritas Pastoris non ingreditur motivum, ex quo consequentia elicitur. Nam minor subsumpta est experimentaliter evidens, cum solum affirmet Pastorem hoc dicere, quod per experientiam innotescit. Ergo conclusio in sola illorum Theologorum auctoritate fundatur. Hanc viam reflexam omnes norunt, & ex illa, quando adest, suam conscientiam facile formant. Ceterum fieri etiam poterit, ut ex Theologorum illorum consilio foemina credat, suum Pastorem verum dicere, eod quod ipsi dixerint, hoc illi praesumendum esse. Verum in hoc etiam casu motivum credendi Pastori, non in istius, sed in auctoritate illorum Theologorum resolvitur, quia quamvis credat Pastorem habere sufficientem doctrinam, & ideo illi credat, nihilominus ideo credit, Pastorem talem sufficientiam habere, quia Theologi id affirmarunt. Ergo iudicium conscientiae, quod foemina tunc format, in Theologorum illorum auctoritatem resolvitur.

5. Porro, quod major est auctoritas, qua hanc ratione dirigimur, eod certius dictamen conscientiae formatur. Unde si Pontifex ipse, a foemina consultus, responderet, illam in dubiis stare posse determinationi Episcopi sui, vel Parochi, utique foemina rudis in eo casu absque ullo dubio stare dicit sui Parochi, idque non propter ipsius, sed propter Pontificis auctoritatem, in quam solam ipsius dictamen resolveretur, tamquam in principium fundamentale unicum, in quo fides illius sisteretur. Et sane nec impossibile est, nec mirum foret, si Pontifex talem declarationem ederet. Siquidem Leo X. ut refert Casarubius *verbo declarare*, concessit Fratribus Minoribus, qui scrupulis vexantur, *ut possint in omnibus dubiis, secura conscientia, stare determinationi suorum superiorum.* Unde certum est, hanc viam reflexam formandi conscientiam, atque discernendi motivum prudens grave ac probabile, non minus communem, quam utlem esse hominibus, maxime rudibus, utpote qui alia ratione gubernari non possunt, ut patet.

ASSERTIO III.

Ex mente Auctorum benigna sententia, homines litteraturam competente instructi recte iudicare possunt de probabilitate extrinseca, etsi adeo profunda doctrina non sint, ut de intrinseca probabilitate rectum iudicium formare queant.

6. **P**ROBATUR. Auctores benignae sententiae in hoc conveniunt, quod sicut probabilitas intrinseca consistit in ratione gravi, ita probabilitas extrinseca in auctoritate gravi fundatur. Rursus illam rationem, illamque auctoritatem appellant gravem, quae ad assensum a prudente non leviter iudicante impetrandum sufficit, ut fuse ostensum est in *tract. de Consc. prob. quest. 2. §. 6.* Porro praeter haec generalia, peculiaris notas tradiderunt, unde scire possimus, quae sit auctoritas talis. Inprimis dicunt, unanimum

omnium Auctorum consensum esse gravem, & sufficere ad iudicium probabile. Idem expressè dicunt de omni sententia communi, quam multi Auctores gravissimi, qui rem a fundamentis examinarunt, amplectuntur, licet alii oppositum tueantur. Tertio, idem asserunt de auctoritate quatuor aut quinque gaavium Doctorum, qui contra communem sententiam opinantur, modò rem diligenter a fundamentis examinarint, eorumque sententia non rejiciatur ut improbabilis. Quarto, eod descendunt, ut doceant, an, quando & quamdiu unius singularis Doctoris sententia praesumi debeat probabilis, & expressa signa, quibus id sciri possit, exponunt. Quinto, similia tradunt de opinione nova in materia antea non tractata. Sexto regulas tradunt, unde scire possimus, an opinio olim extrinsecè probabilis evaserit extrinsecè improbabilis, & è contra. Demum alia quamplurima exponunt, per quae scire possimus, an, & quamdiu opinio sit extrinsecè probabilis, non tam per regulas & indicia ad id dignoscendum a dictis Auctoribus definitio, quam per ipsam opinionis probabilis definitionem, quam tradunt; saepe enim evidens est, ipsam definitionem tali opinioni convenire, ut in innumeris casibus est obvium; scilicet quoties evidens est auctoritatem hanc hinc & nunc fundare iudicium prudens, hoc enim est illud esse extrinsecè probabile, ut patet. Qui de hac re plura videre cupit, & exactè scire quanam opinio sit intrinsecè quoad se, quanam extrinsecè & quoad nos probabilis, ea fuse declarata habet in *tribus qq. citatis ex tract. de Consc. prob.* ubi ea & alia complura ad haec spectantia reperiet. His positis.

7. Probatur assertio. Qui mediocriter Theologiae periti sunt, optimè capiunt, quid ad probabilitatem extrinsecam Auctores benignae sententiae exigant. Regulas & indicia, quibus illam declarant, clarissimè percipiunt. Unde studio atque lectione sine magna difficultate certò discere possunt, quanam opinio juxta mentem illorum fuerit, sit, atque erit probabilis. Quia in re, licet non adjuventur ab auctoritate illorum ad sciendum, quòd haec opinio particularis habeat haec requisita (hoc enim ex propria industria evidenter sciunt) ab illorum tamen auctoritate inferunt, & sciunt, talem opinionem juxta ipsorum mentem esse probabilem, quia habet requisita, quae illi ad probabilitatem sufficere declararunt. Unde iterum ex eorundem auctoritate rectè inferunt, usum talium opinionum esse licitum, quia illi unanimiter tradiderunt, opiniones omnes, sive intrinsecè quoad se, sive extrinsecè quoad nos certò probabiles, licitè posse in praxim deduci. Nec mirum, quia probabilitas intrinseca & extrinseca sunt ita connexae, ut una arguat aliam. Sic quoties certò scimus, aliquam opinionem esse extrinsecè probabilem, eo ipso rationally praesumimus illam esse intrinsecè probabilem, quia praesumimus Auctores illius, utpote probos & peritos, non absque gravi fundamento eam asseruisse. Similiter quoties videmus aliquem gravibus rationibus suam assertionem stabilivisse, statim formamus iudicium de sufficientia gravique auctoritate talis viri. Itaque una ex istis probabilitatibus inferit aliam. Qualis autem & quanta sit haec connexio, latè exposui in *tract. de Consc. prob.* ubi ostendi probabilitatem intrinsecam solum probabiliter inferri a probabilitate extrinsecà, quia fieri potest, ut Auctor dicat se rem a fundamento considerasse, gravissimasque rationes invenisse, licet neutrum praesertim.

stiterit. Nihilominus contrarium prudenter præsumitur. Porro in tali casu Auctores benignæ sententiæ expressè tradunt, omnibus licitum esse sequi opinionem extrinsecè certò probabilem. Atqui homines, competente doctrina instructi, ad indubitatam hujus probabilitatis extrinsecæ existentiam, & dictam intrinsecæ probabilitatis præsumptionem absque magna difficultate pervenire, atque ita de probabilitate extrinsecæ intrinsecæque probabilitatis præsumptione rectè judicare possunt, etsi multi illorum de rationibus ac motivis singularum opinionum rectum judicium formare nequeant.

Celladeus immeritò carpit casum collectores.

8. Quæ cum ita sint, Celladeus immeritò reprehendit eos, qui cum Theologiam profundè non norint, hâc viâ reflexâ ad se & alios dirigendos utuntur. Immeritò, inquam, quia tales homines sufficienter instructi sunt, ut ea solum pro conscientiæ suæ ac alienæ directione adhibeant, quæ à communi omnium Theologorum consensu dicuntur esse licita, si fiant in iis circumstantiis, in quibus illi, & alii ab ipsis directi operantur. At nemo ita operans meritò reprehendi potest. Hoc adeo verum est, ut Celladeus hoc loco idipsum supponat, & in tantum illud rejiciat, in quantum putat tales homines de probabilitate rectè judicare non posse. Sed in hoc apertè deceptus est, quia inter probabilitatem extrinsecam & intrinsecam non distinguit. Unde, ex terminorum confusione & indistinctione deceptus, dixit tales homines de probabilitate rectè judicare non posse, quia rationum momenta pendere, atque inter ea discernere nequeunt.

Celladei consilium mundo noxium esset, si adhiberetur.

9. Cæterum, vix mundo, si ea in praxim reducerentur, quæ Celladeus, istiusmodi hominibus infensus, ut necessaria pro animarum salute proponit. Inprimis omnes tales à consultando, atque à conscientiis dirigendis omnino arcendos, solosque sapientes Theologos ad conscientiæ consultationem admittendos esse omni nisu contendit. Verum misera prorsus esset hominum conditio, si hoc admitteretur. Nemo est, qui pro conscientia sua dirigenda consultore non egeat. Rustici ipsi, ac quivis Idiota peccatorum Confessione, Sacramentorum administratione, atque dubiorum suorum solutione indigent. At illis prospici non posset, si Celladei documenta sequeremur. Ubi enim inveniri poterunt tot prudentes & absolvi Theologi, quot ad omnes homines totius Ecclesiæ instruendos, eorumque conscientias dirigendas sunt necessarii? Quis non videt tales Theologos ad decimam mundi partem dirigendam non sufficere? Quid ergo fiet de reliquis? Illi, si Celladei contilia sequi velimus, omni ope destituti, sine Pastore ac Directore vagari debent, atque in continuo damnationis periculo vivere, atque ad tutiora in omnibus tenenda obligari.

Celladeio: pinio & consilium praxi Ecclesiæ contrariantur.

10. Sed quid? nõne praxis totius Ecclesiæ hanc animas gubernandi formam, ab unico Celladeo nuper excogitatum, condemnat? Certè tam Episcopi, dum Pastores creant & Confessarios approbant, quàm Religiosi, dum suos subditos Confessionibus audiendis exponunt, eos talibus muneribus aptos censent, qui tanta doctrinæ excellentia præditi non sunt, ut de rebus moralibus directè sumptis, atque de rationum moralium pondere rectum judicium formare possint. Hi tamen ex officio suo, ex mente Ecclesiæ, & ex omnium rectè judicantium consensu conscientias dirigere, atque occurrentia misero-

rum dubia solvere debent. Jam verò is ex omnium praxi atque consensu ad hoc idoneus judicatur, qui juxta dicta de extrinsecæ opinionum probabilitate rectum judicium formare novit. Nec mirum, quia ille idem prorsus respondebit, quod doctissimi quique, si consulerentur, responderent. Et sanè id ex praxi certissimè innotescit; prudentissimi enim Theologi nonquam aliquid corrigendum inveniunt in Confessione eorum, qui, à minus peritis directi, eas tantum opiniones sequuntur, quas directores ipsorum, juxta Auctorem benignæ sententiæ mentem, repererunt esse certò probabiles extrinsecè; quia nil nisi rationabile in tali directione intervenit. Quòd si minus periti casum ex opinionibus certò probabilibus resolvere non possint, tunc ipsorum est doctiores adire, & ab illis, quid factò opus sit, investigare, atque juxta doctiorum præscriptum se & alios gubernare. Hac ratione conscientiæ benè & rationabiliter regulantur, quæ certè ex Celladei præscripto absque remedio, sine consultore ac directore cum evidenti damnationis periculo vagari deberent.

11. Itaque universim suadendum est, ut minus periti discant quid Caietanus, quid Suarez, item S. Fudatori no- stro, ejusque Constitutio- nibus. Repugnat aliisque de rebus moralibus senserunt, illorumque atque aliorum in opinionibus consensum perspicuum habeant, atque per hanc diligentiam sese aptos conscientiarum magistros reddant. Celladeus hoc improbat, eosque historicos, meros reflexistas, omnis doctrinæ moralis imperitos vocat. Verum aliter sentit Ecclesia, quæ publicos moralis Theologiæ magistros eo sine ubique proponit, ut illi discipulis suis casuum compendia, probabilesque Auctorum opiniones explicent, & ne memoriâ excidant, prout opportunum fuerit, dicent, ut illi postea juxta illas doctrinas & se & alios dirigant. Aliter sentit S. P. Ignatius Soc. Je su Fudator, qui in 4. parte Constitut. cap. 8. litt. D. ubi agit de Scholasticis instituendis in iis, quæ ad proximos juvandos pertinent, omnibus præscribit tamquam conveniens, ut casuum conscientiarum, maxime rerum difficiliorum compendium aliquod sibi comparant, atque hoc utile existimat, ut, sine damno suo, & cum aliorum utilitate Confessarium munus exerceant. Hoc ipsum Societas nostra instar regulæ omnibus suis Sacerdotibus proponit. Et tamen certum est, nec Ecclesiam, nec S. Ignatium, nec Societatem nostram existimare omnes, quos sic instrui, & ita instructos proximorum saluti cooperari volunt, eam doctrinæ præstantiam habere, quæ ad omnium quæstionum moralium fundamenta ritè dijudicanda requiritur. Absurdum proinde est, publicoquæ Ecclesiæ bono maxime nocivum, quod Celladeus pro opportuno & maxime necessario consilio proponit. Verum ille proprias opiniones non in solido fundamento, sed in terminorum confusione & æquivocatione fundatas proponit. Has non sequimur, sed communi Ecclesiæ praxi, Sanctorum Doctrinis, atque Religionum Constitutionibus maturè discussis debiteque approbatis in- hæremus.

ASSERTIO IV.

Propositum sit declarare, quinam fideles, & quomodo per benignam sententiam praescrip-
ta gubernentur?

Quinam & quomodo de probabili-
tate iudic-
ate possint?

DECLARATUR assertio. Tres sunt fidelium classes. Prima partem longè maximam complectitur, nempe eos omnes, qui discernere nequeunt rationes, aut Auctores graves à levibus, bonos à malis, eò quòd sufficienti ad hoc ingenio vel doctrinà non polleant. Nihilominus isti sæpe norunt, quinam hìc & nunc communi probitatis ac doctrinæ famà eminent, & consequenter optimè norunt eorum auctoritatem gravem esse, & prorsus dignam, cui assensum in dubiis præbeant. Secunda classis est eorum, qui ingenio ac doctrinà adeo eminent, ut non solum præstantiam unius Auctoris præ alio, sed etiam singularum rationum momenta exactà iudicii trutinà librare possint. Tertia classis est eorum, qui inter priores duas mediant, quique tantum doctrinæ affectu sunt, ut proprià industrià ac labore scire possint, quis per transennam, quis ex professo materias morales examinavit? Quis cum his conveniat, quis ab illis discrepet? Idem etiam facile scire possunt, quæ sint propositiones ab Ecclesia censurata, quæ permixta seu tolerata, &c. Similiter iidem apti sunt, ut ex communi doctissimorum, quibuscum sæpe versantur, famà discant, quinam ex scriptoribus pro gravissimis & securioribus, quinam pro audaculis & laxioribus habeantur? qui communiter probentur ut boni, qui rejiciantur ut cavendi? Jam plurimi ad hæc & similia ritè penetranda apti sunt, qui tamen rationes & fundamenta Auctorum inter se debite comparare, atque singulorum vim & meritum discernere nequeunt.

His positis, dicendum est, omnes secundæ & tertiæ classis aptos esse, ut, se & alios juxta præscriptum benignæ sententiæ gubernent. Sed cum disparitate. Primi siquidem & intrinsicam & extrinsecam opinionum probabilitatem perfectè penetrare, atque adeo non solum reflexam, sed etiam directam sui consilii, suæque directionis rationem dare possunt. Rursus iidem in peculiaribus casibus, quas Auctores non discusserunt, suam operam interponere, iudiciumque formare, eoque tandem juxta benignæ sententiæ præscriptum se & alios gubernare possunt. Secundi vero solum extrinsecam opinionum probabilitatem discernunt, nec aliam quàm reflexam de rectitudine sui consilii rationem exponunt. In rebus verò ab Auctoribus non agitatibus hærent, neque ex proprio discursu quidquam definire audent, sed ad alios recurrunt, ut ab illis quid facto sit opus, discant. Hi ergo omnes ad se ac alios ex præscripto benignæ sententiæ ritè gubernandos apti sunt, quia omnes bene sciunt, se aliud non facere, aut ut licitum proponere, quàm quod communis, immò unanimis Doctorum consensus asserit esse honestum; atque ita non solum exercitè, sed etiam signatè benignæ sententiæ clypeo se tutos esse norunt. At primæ classis homines, ex præscripto benignæ sententiæ, de qua pauci quidquam audierunt, solum exercitè tuti sunt, quia id faciunt quod illa veraciter asserit esse licitum. Caterùm qui rudibus istis consilio præbent, in auctoritate omnium benignæ

sententiæ subscribentium se fundant. Sed rudes, qui illorum dictis fidem præbent, eorumque consilium sequuntur, immediatè nituntur illorum auctoritate, de cujus sufficientia evidentem præsumptionem habent; atque ita demum non nisi mediatè per sententiam benignam gubernantur. Hæc perspicua quidem sunt, debuerunt tamen fusiùs explicari, ut, variis terminorum significationibus ritè distinctis, æquivocationes, in quas Celladeus incidit, vitaremus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Et Casuistarum industria laudabilis ac utilis esse ostenditur.

OBJICIT I. Nemo tamen potest se aut alios gubernare ex præscripto benignæ sententiæ, nisi qui ritè discernit opinionem, quam sequendam proponit, esse probabilem. At nulla opinio est probabilis, quæ gravi fundamento non innitatur. Ergo non licet proponere opinionem sequendam, quæ tale fundamentum non habeat. Ergo qui nescit, an opinio aliqua habeat fundamentum ejusmodi, pariter nescit, an opinio habeat quod Auctores benignæ sententiæ ad conscientia securitatem requirunt. Ergo qui talem opinionem proponit vel sequitur ut licitam, vel consulit, vel operatur nesciens an habeat quod ad conscientia securitatem requiritur juxta eos, quorum auctoritatem sequitur. At hoc modo operari vel consulere temerarium est, & evidenter illicitum. Ergo temerè & illicitè operantur, vel consulunt, qui inter opiniones, & opiniones, inter Auctores & Auctores, inter fundamenta & fundamenta aut non discernunt, aut discernere nequeunt. Tales sunt omnes puri Reflexivæ, qui se aptos conscientiarum magistros arbitrantur, si reflexam & historicam notitiam habeant, non quidem objecti discipline moralis, sed opinionum, quid in hac quaestione Caietanus, quid, Suarez, aliique senserint; quæ historià memoriter habità, vel in quinternione scriptà, putant se ad quodlibet resolvendum absolutè firmè paratos. Verùm toto celo errant, quia per hoc nullam prorsus boni aut mali, virtutum aut vitiorum scientiam habent, quia nil prorsus de objecto scientia moralis sciunt. Non enim aliter versantur circa objectum scientia moralis, quàm quia est objectum sui objecti, seu opinionum, quas memorant, aut collectas habent. Atqui ipsa rei moralis natura indaganda & scienda est, ut de illa responderi possit, quia de illa quaeritur. Hanc S. Thomas, Scotus, Suarez, Caietanus, & alii graves Doctores indagant. E contra verò prodierunt libri, in quibus nil de natura rerum moralium dicitur, sed solum opinionum catena recitatur. Hi sunt libri reflexi, historici, minimè Theologici, quos qui solum aut principaliter sciret, esset ipsius moralis scientia prorsus expertus. Ergo omnis ejusmodi ineptus est, qui de probabilitate rectè iudicat. Ergo nemo ejusmodi, nisi temerè, consulere aut agere potest juxta opinionem, quam sic collectam habet. Ita Celladeus *quaest. 10. §. 1. & 2.*

Respondeo, difficultatem hanc in probatione assertio-
num jam esse solutam, quia collectores
ejusmodi opinionum optimè discernunt probabi-
litatem extrinsecam, per quam utique validam
valdeque rationabilem præsumptionem habent
de intrinseca earundem probabilitate. At hoc ex
benignæ sententiæ præscripto ad licitè operan-
dum

Objectio 1.

Summissa
an habeant
notitiam
de objecto
moralis.

Habent tamen
notitiam talè

dum & consulendum sufficit. Itaque qui opinionem aliquam auctoritate gravi, & ad extrinsecam probabilitatem sufficiente niti novit, utique scit opinionem illam habere, quod Auctores benignè sententiæ ad conscientiam securitatem sufficere docent, quamvis nesciat in particulari, quæ sint talis sententiæ fundamenta, nec sufficientem doctrinam habeat ad rectè de illis judicandum, si ipsi proponerentur. Hæc per se patent, si obvia probabilitatis intrinsecæ & extrinsecæ distinctio ante oculos habeatur. Itaque objectio ex perspicua æquivocatione procedit.

Æquivocationes Celladei deteguntur.

14. Eadem æquivocatione laborat quod dicit de Reflexistis, seu casuum collectoribus; nemo enim illorum est, qui de extrinseca probabilitate, & consequenter de intrinseca probabilitatis præsumptione rectè judicare non valeat. At hoc sufficit, ut per principia reflexa conscientia debitè formetur. Itaque immeritò reprobatur Summistas sub ea generalitate, qua loquitur, cum pro quàm plurimis sint utiles. Certè non omnes habent, aut habere possunt copiam optimorum Consiliatorum, ut supradictum est. Omnes autem consilio indigent. Ergo plures mediocribus contenti esse debent. Tales sunt prohi Summistæ, seu casuum collectores, qui facilius & certius intelliguntur à plerisque, quàm qui multas ac subtiles rationes afferunt. Distinguat ergo Celladeus habentes à non habentibus copiam & discretionem optimorum Consiliatorum, videbitque intentum suum, de Summistis à conscientiarum directione generaliter removendis, & absurdum esse & reipublicæ nocivum, ut supra quoque indicatum est, quia majorem hominum partem omni consilio destitutos relinquet, quos tamen mediocribus consiliariis adjuvari expedit, quia præstantes nec habent, nec eos si adessent, ab aliis discernere-

Summistæ fuerunt viri præstantis doctrinæ.

15. Præterea modus, quo de Summistis Celladeus loquitur, omnino displicet; si enim de solis quibusdam discipulis, ac rudioris literaturæ viris loqueretur, admitti posset, eos esse *meros reflexistas, opinionum moralium historicos, ac viros minime Theologos*. At cum de Auctoribus, librisque Summistarum editis loquatur, absurdum planè est, & haud tolerandum, viros, reipublicæ Christianæ utiles, multaque literaturâ insignes, adeo deprimi ac vilipendi, ut & illi & illorum libri pro puris historicis, solidâ ac verâ Theologiâ carentibus serîo proponantur. Plures ex Summistis, ut Angelus, Sylvester, Caietanus, Tolctus, Navarrus, fuere viri literaturâ insignes, magnique Theologi, quorum resolutioni, cæteris paribus, non minùs quàm summorum Theologorum resolutioni standum est, saltè ab iis omnibus, qui rationes, quibus docti moventur, intelligere non valent. Quod autem ad alios attinet, proferat vel unum Celladeus, si possit, qui Theologus insignis non fuerit. Nec dicat se offensionis vitandæ causâ neminem nominare velle, nam neminem nominare potest, qui tantâ doctrinâ non excelluerit, ut non solum Auctores ipsos, & probabilitatem extrinsecam, sed & fundamenta Doctorum ac probabilitatem intrinsecam rectè discernere potuerit. Nec solum potuerunt id Summistæ, sed & id ipsa plerique fecerunt; fuerunt enim homines non minùs prohi quàm periti, qui aut nunquam, aut rarò valde in suas Summas concesserunt, quod non scirent esse intrinsecè certò probabile. Quod si aliquid minùs certum addiderint, statim advertes, eos minùs fidenter de eo, quàm de aliis esse loqu-

tos. Neque enim absque delectu opiniones congerunt (sciunt enim suam in hoc conscientiam gravari) sed summa cum diligentia, labore, ac studio eas opiniones colligunt, quas norunt esse certò probabiles, ideoque illas proponunt ut licitas, quia communis omnino Theologorum consensus earum usum licitum esse agnoscit.

16. Porò quod dicit, historicos istos nullam prorsus boni ac mali, virtutum ac vitiorum notitiam habere, & viris probis injuriosum, & à veritate est prorsus alienum. Quamvis enim nosse, quòd Suarez & alii hanc teneant sententiam, non sit notitia objecti moralis, nihilominus hoc scire multum juvat ad formandum iudicium boni & mali, virtutis ac vitii. Quando idiota petit consilium à perito, an aliquid liceat, novit illum affirmare quod liceat. Hæc notitia purè speculativa est, & si velis, quodammodo purè historica, nec habet pro objecto rem moralem, virtutem vel vitium; nihilominus est saltem circumstantia, quæ ad conscientiam debitè formandam multum juvat, sic enim idiota discit, *Licet facere, quod Parochus à me consultus responderet licere. Sed Parochus à me consultus responderet hoc mihi licere. Ergo hoc mihi licet*. Consequentia hæc est notitia rei moralis, nempe actionis honestæ, quamvis minor propositio sit purè speculativa, & quædam rei gesta historica. Ratio est, quia res illa est circumstantia, quæ aliquo modo respicit ipsum objectum, prout dat occasionem reflectendi supra honestatem illius, in quantum illa à gravi viro asseritur. Hinc est, quod objectum ipsum, prout ab hac circumstantia afficitur, evadat & reflexè cognoscatur esse honestum, quamvis ejus honestas directè considerata semper maneat incerta respectu idiotæ, eò quòd ille non habeat principium, ex quo directè aut certò concludat, objectum illud esse honestum vel inhonestum. Nec mirum, quia ipsa cognitio experimentalis, quod honestas aliquis objecti affirmetur à viro tantæ auctoritatis, cui meritò fidem damus, ex natura sua est minor principii synderesis reflexi, cum quo constituit syllogismum, cujus conclusio absolute enunciat, objectum illud esse honestum. Idem valet de casuum Collectoribus, qui debitè colligendo quid Auctores gravissimi de rebus moralibus senserint, ex suo labore evidenter sciunt, opiniones tales esse probabiles. Non enim ideo præcisè Summas suas condunt, ut sciant, quid quisque senserit, sed ut sciant quid sit certò probabile. Nec in sola probabilitate sistunt, sed eà utuntur tamquam circumstantiâ quadam efficiente rem, de cujus honestate quæstio procedit, atque de illa re talibus circumstantiis substante ex principiis synderesis reflexis pronunciant, illam esse licitam. Sciunt enim, quod communis ac unanimes Theologorum consensus statuat, usum opinionis probabilis esse licitum. Unde cum ex illorum præscripto certò sciant, hanc opinionem esse probabilem, ex eorundem auctoritate inferunt ejus usum esse licitum. Itaque apertissime errat Celladeus, dum dicit, Collectores casuum per operam atque scientiam suam nullam rerum moralium notitiam habere, quia certum est, eam cognitionem plurimum deservire ad indirectè seu reflexè concludendum de honestate objecti ac operationis, uti ostensum est. Quamvis enim præcisè notitia, quid Auctores dicant, non sit notitia de ipsis objectis moralibus, sed solum reflexa cognitio de illorum scientia, nihilominus illa historica cognitio multum juvat ad moralitatem ac honestatem illorum objectorum reflexè

Celladeus de multis viris valde dignis inhonestè loquitur.

Casuum collectores optinè discernunt quid sit honestum & inhonestum.

inda-

indagandum. Porro Summistæ in hoc à S. Thoma, Suario, aliisque differunt, quòd illi per principia directæ, hi per principia reflexa rerum honestatem determinant.

Replica.

17. Dices. Tota scientia moralis, sive Philosophica sive Theologica, est directæ, utpote quæ de bono & malo, de actibus humanis, de virtutibus ac vitis tractat, eorumque omnium essentias ac naturas ex objecto indagat. Itaque sicut nullus est homo, qui non sit rationalis, ita nulla est scientia moralis, quæ non sit directæ. Ergo frustra fugimus ad conclusiones & scientiam moralem reflexam, quæ non datur. Quæstio proponitur, an Chocolate frangat jejunium? Reflexista de hoc nil scit directè, nec curat nosse, an Chocolate sit cibus vel potus? & tamen ex hoc resolutio casus dependet. Quid ergo facit? Prætermisso hujus rei examine, querit quid Auctores dicant, & si illi dicant chocolate esse potum, & non frangere jejunium, contentus est. At reflexista ille per hoc non habet scientiam moralem, an Chocolate frangat jejunium. Ergo de hoc respondere non potest. Ergo ruit tota responsio. Ita Celladeus §. 2.

Argumentum recor-
quatur.

Respondeo primò per instantiam. Idiota ignarus an Chocolate sit cibus vel potus, querat à perito, an frangat jejunium, Peritus respondeat, quod non frangat jejunium. In hoc casu peto an Idiota, formans suam conscientiam de licito usu Chocolate, non eliciat conclusionem de objecto & materia morali. Utrique dices, quia enuntiat de licito, & de actu virtutis. At quomodo hoc fieri potest, cum non habeat scientiam an Chocolate sit potus vel cibus, sed solum credat perito dicenti, quod non frangat jejunium. Nōne quæstio illa determinanda est, querendo an materia illa sit cibus vel potus? At Idiota hoc ignorat, hoc non determinat. Quomodo ergo scientiam seu conscientiam habet, quod usus Chocolate non frangat jejunium. Vides argumentum ab ipso Celladeo solvendum. Itaque dico, quæstionem hanc ab aliquibus directè resolvendam esse ex objecti illius inspectione. Verùm, illa resolutione posita, alii ex horum auctoritate quæstionem ex principiis reflexis iterum resolvunt. Nec mirum, quia principia illa reflexa directam casus resolutionem à prudentibus factam fuisse apertè supponunt. Quod autem valet in casu particulari Idiotæ, à fortiori valet de illis, qui non ex unius responso, sed ex communi plurium peritorum consensu dicunt talem usum esse licitum, quia per hoc prudenter præsumunt Chocolate esse potum, atque ita ex principiis reflexis quæstionem novâ viâ resolvunt.

Datur §. 16.
na moralis
a. 2. 2. 2.

18. Cæterum non satis capio, quid sibi velit Celladeus, dum dicit omnem scientiam moralem esse directam, nec magis possibilem esse scientiam moralem reflexam, quam hominem irrationalem: Ego certè haud existimo, eum asserere nullam resolutionem reflexam ad scientiam moralem pertinere, quia hoc est nimis evidenter falsum. Querunt omnes, an usus opinionis probabilis sit licitus? Quæstionem hanc omnes uno ore reflexam vocant, quia illa de honestate rerum, non ex directæ earum consideratione, sed solum indirectè & reflexè enunciat, ex suppositione, quod honestas illius sit certè probabilis. Jam omnes periti longas de hac quæstione disputationes institunt, tamquam de re maximè morali, & regulâ generali ad conscientiam debitè formandam utili ac necessariâ. Ergo vel omnes desipiunt, vel dantur quæstiones morales reflexæ, & scientia moralis reflexa. At omnes morales scientiæ Doctores non adeo desipiunt, ut quæ sit propria suæ indaginis materia ignorent. Ergo datur scientia moralis reflexa. Præterea idem ostensivè sic probatur. Omnis quæstio de bono & malo morali, seu de honesto & inhonesto est quæstio moralis, ejusque resolutio est scientia moralis. Sed multæ quæstiones reflexæ, utpote quæ supponunt actus & cognitiones directas de rebus & rerum circumstantiis præcessisse, procedunt de honesto & inhonesto, quales sunt, an liceat Idiota sequi consilium prudentis directoris? an usus opinionum practicè probabilem sit licitus, &c. Ergo multæ sunt quæstiones morales reflexæ, quarum resolutiones sunt scientia moralis. Ulterior ratio à priori est, quia omnis circumstantia, quæ ita afficere potest objectum morale, ut illud in ordine ad honestum vel inhonestum immutet ac alteret, pertinet ad scientiam moralem. At multæ cognitiones directæ de rerum honestate sunt tales; nam aliter se habet homo ad operandum, quando dubitat aliquid esse honestum, aliter quando credit illud esse vitium, aliter quando credit illud esse permissum. Ergo spectat ad scientiam moralem hæc omnia considerare, sicut de factis hæc omnia considerat. Atqui consideratio objectorum, prout substant istis cognitionibus directis est consideratio reflexa, ut patet; est etiam maximè moralis, quia concludit peccatum esse operari in dubio, est objectum ipsum non sit malum in se. Resolvit gravius esse id facere, quando creditur esse prohibitum. Determinat id malum non esse, quando invincibiliter & prudenter creditur esse permissum. Ergo evidentissimum est, dari scientiam moralem reflexam. Patenter ergo erravit Celladeus, quando pronuntiavit oppositum.

Celladeus
manifesti
erroris com-
vincitur.

19. Objicit secundò. Qui non novit Patrem Petri, judicare nequit Petrum esse similem suo Patri, quia simile est relativum ad terminum. Ergo cui terminus ignotus est, ignotum pariter est & simile. Ergo pariter cui ignotum est verum, ignotum est verosimile, quia verosimile est relativum ad verum. At idem prorsus est probabile & verosimile. Ergo cui ignotum est verum, ignotum est probabile. Ergo cui ignotum est verum morale, ignotum est verosimile & probabile morale. At verum morale non innotescit, nisi per scientiam moralem. Ergo non habentibus scientiam moralem ignotum est verum morale, & per consequens etiam verosimile & probabile morale. Sed imperiti casuum Collectores non habent scientiam moralem. Ergo non habent notitiam probabilitatis moralis, nec de ea rectè judicare possunt. Rursus probabilitas consistit in gravitate fundamenti. Ergo qui nequit judicare de gravitate & levitate fundamentorum, judicare nequit de probabilitate. At scientiæ moralis expertes, quales sunt imperiti casuum Collectores, nequeunt judicare de gravitate fundamentorum, quia illud solum ab Authoribus benignæ sententiæ vocatur fundamentum grave, quod magnam vim habet ad movendum hominem rerum illarum peritum, ut rei propositæ assensum præbeat. Jam impossibile est, ut rerum ipsarum imperiti sciant, an motivum propositum sit vel non sit grave respectu peritorum. Ergo homines tales non possunt rectè judicare de probabilitate. Ita Celladeus §. 3.

Objeçtio 2.

Respondeo hæc omnia admitti posse de notitia experimentalis probabilitatis intrinsecæ, cujus naturam & vim intrinsecam nemo novit, qui illam tiva.

Celladeus
confundit
cognitionis
abstractivâ
cum intuiti-
vâ.

lam in se non experitur, & aptè dispositus est ad totam ejus vim experiendam. Hoc Celladeus bene probat; verùm argumenta ipsius non solum non evincunt, sed ne quidem verisimiliter probant, imperitos rerum moralium non posse abstractivè saltem optimè judicare de probabilitate extrinseca, atque ex illa etiam judicare de probabilitate intrinseca, quatenus indirectè, reflexè, & per species alienas rationabiliter præsumunt illam adesse, etsi qualis illa sit in seipsa per proprias ejus species prorsus ignorent. Et sanè hoc ipsum videtur in exemplo allato. Quamvis enim per proprias & intuitivas species scire non possim, Petrum esse similem Patri suo, nisi Patrem etiam videam, atque cum filio comparem; tamen per fidem humanam id prudenter credere possum, etsi solum Petrum, aut neutrum per proprias species norim. Sic credimus Filium Dei Patri suo esse per omnia similem, & nos ipsos Deo fore similes, quando *videbimus eum sicuti est*, quamvis de termino harum relationum proprias species non habeamus. Idem valet de vero & verosimili, ut patet.

Aug. aentè arguit contra Academicos.

20. Præterea argumentum non probat, eandem aut planè similem esse debere cognitionem termini & fundamenti, ut relatio cognoscatur, quia certum est cognitionem relationis esse posse intuitivam, quando cognitio termini est solum abstractiva. Sic intuitivè cognosco, me habere cognitionem Angeli, quem solum abstractivè cognosco, &c. Præterea etsi loquamur de intuitiva cognitione similis ac verosimilis, & concedamus utrumque intrinsecè constitui partialiter per ipsum terminum, argumentum non urget; fateor enim, verisimile non posse sciri nisi aliquid verum sciatur, cum quo comparetur. Hoc enim verum est, & à S. Augustino (quem Celladeus hic circa hoc ipsum citat) contra Academicos acutissimè illatum. Illi enim dicebant, nil approbandum esse ut verum, sed solum ut verisimile. Contra illos Augustinus bene arguit, nil approbari posse ut verisimile, nisi aliquid, cum quo comparatur, approbetur ut verum, quod certè verissimum est, quocumque modo verisimile accipiatur; quia nemo potest approbare relationem ejusmodi existere, nisi etiam terminum ejus existere concedat. Cæterùm hoc non tangit præteritam difficultatem, nam quando verisimile cognoscitur per similitudinem veri, hoc verum, cum quo fit comparatio, non est ipsum verum, quod cognitio, quæ verisimilis dicitur, repræsentat, sic enim idem sibi simile diceretur & esset. Præterea omnes debent hoc fateri, quia de probabilitate & verisimilitudine sæpe certam & intuitivam cognitionem habemus, cum tamen de objecto à cognitione probabili repræsentato nulla detur aut intuitio, aut certitudo; imo sæpe objectum illud non datur, quia illa cognitio probabilis est falsa. Ergo ex mente Augustini, & ex ipsa veritate, denominatio comparativa verisimilis non ab objecto per cognitionem verisimilem repræsentato, sed aliundè desumitur. Quod cum certissimè ita sit:

Verisimile nõ refertur ad propriu objectum, & ad terminum suæ relationis.

Quis sit terminus hujus relationis verisimile?

21. Quæres fortasse, quis sit terminus comparationis & relationis expressæ per vocem *verisimile*? Respondeo omnes homines habere multas cognitiones certas & evidentes de sua & aliorum existentia, item de multis rebus particularibus, sive immediatè notis, sive ex aliis evidenter illatis. In hisce omnibus experimur intellectum ab objecto proposito ita trahi ad assensum, ut in illum rapiatur. Harum cognitionum obje-

ta sunt primarius terminus hujus comparationis quibus illa dicimus similia, & consequenter verosimilia, quæ intellectum ad assensum sollicitant. Porro quia omne motivum intellectuale aliquo modo sollicitat intellectum ad assensum, ideo omne motivum ejusmodi aliquam verisimilitudinem habet. Eò autem major est verisimilitudo cujusvis objecti, quò intellectus per ejus propositionem magis stimulat ad assensum. Quod si motivum non necessiter, sed tamen vehementer stimulet peritum, qui rem debitè consideravit, illud dicitur motivum probabile. Itaque duo hæc observanda sunt. Alterum, Augustinum subtilissimè, & ad hominem consultasse Academicos, Alterum, hoc ejus argumentum Celladeo non favere. Nemo enim scientiæ moralis adeo rudis est, quin multa vera tam moralia quàm alia evidenter sciat. Unde nemo est, qui evidenter non cognoscat terminum, quem verisimilitudo respicit. Et quidem omnes hac ratione evidenter cognoscunt verisimilitudinem seu probabilitatem extrinsecam, & ex illa per species alienas prudenter præsumunt probabilitatem intrinsecam adesse, ut in hac sola questione fusè declaratum est.

22. Cæterùm Celladeus in hoc argumento dupliciter erravit. Primum, quia supponit verosimile dici respectu ipsius veri, quod cognitio verisimilis repræsentat. Et sanè nemo est, qui legat ipsum, quin statim judicet id esse ipsum intentum. At hoc est evidenter falsum, ut ostensum est. Alterum est, quod hoc errore deceptus intulerit, carentem scientiâ veri moralis de verosimili morali judicare non posse. Sed hoc ex præmissis non sequitur, quia si motivum impellens ad affirmandum aliquid morale, instar motivi non moralis sollicitet intellectum ad assensum, eo ipso materia illa moralis erit verosimilis, quamvis non comparetur cum verò morali, ut patet; tota enim diversitas se tenet ex parte materiæ, quæ in hisce denominationibus non attenditur, quia objectum morale erit verosimile, si impellat intellectum, sicut verum non morale illum impellit.

Duo error. res Celladei.

23. Quod ad motivorum discretionem attinet, ea dupliciter discerni possunt, primò directè ex ipsa eorum inspectione, & hoc modo soli periti de illorum gravitate rectè judicare possunt, secundò indirectè, à posteriori, & ab affectu, & hoc modo imperiti rectè discernunt quæ sint, quæ non sint gravia. Sic ex unanimi Doctorum consensu, aliisque notis supra expensis rectè colligimus, eos gravi fundamento usos fuisse; nam unanimis peritorum consensus apertè arguit, eos grave fundamentum habuisse, quia moraliter loquendo impossibile est, omnes peritos post diligentem rei discussionem in unam convenire sententiam, nisi gravi fundamento ducantur. Jam ad conscientiam dirigendam hæc reflexa probabilitatis intrinsecæ notitia, & alia ejusdem validæ præsumptiones sufficiunt, ut ex dictis constat.

Motiva gravia dupliciter discerni possunt.

24. Objicit tertio. Sint tres conclusiones morales, quarum altera sit solum probabilis, altera moraliter certa, tertia demonstrativa. In hoc casu Collector casuum nesciet inter illas distinguere; obstupescet enim, si ab illo petatur, quamnam illarum sit solum probabilis? quæ moraliter certa? quæ demonstrativa? solum enim poterit dicere, omnes tres esse insignium Doctorum opiniones, sed quamnam alteri excellat dicere haud poterit, quia soli moralis scientiæ periti talia discernere valent.

Objectionis.

Respon-

Collectores casuum recte discernunt probabile ab improbabili, & incertum a certo.

Respondeo in primis nobis sufficere, si casuum Collectores discernere possint, quod omnes illae opiniones sint certae probabiles. Hoc enim in praesenti tantum queritur. At hoc bene discernere valent, ut constat ex dictis.

Respondeo secundò, morales istas demonstrationes raro occurrere; occurrunt tamen aliquando, & tunc omnes Auctores non solum in eadem assertione conveniunt, sed etiam aperte asserunt, talem assertionem esse demonstratam. Ex hoc autem omnium peritorum consensu veritas talis demonstrationis evadit moraliter evidens, propter communem omnium peritorum consensum, sicut existentia Urbis Romanae ob consentientia testimonia est moraliter certa & evidens. Hoc optimè norunt etiam minus periti casuum Collectores, qui ideo non solum sciunt, tales opiniones esse probabiles; sed sicut ab extrinseca auctoritate norunt aliquas opiniones esse probabiles, sic à diversitate talis auctoritatis non solum gradus probabilitatis ipsius inter se, sed etiam incerta à certissimis ac demonstratis discernunt. Sic casuum Collectores ab extrinseco sciunt, ignorantiam invincibilem à toto excusare, nec probabiliter tantum, sed certò & evidenter id sciunt. Idem dico de licito probabilitatis usu, ille enim in tota sua universalitate est ad minimum moraliter certus, & quoad summam ejus probabilitatem evidenter demonstratur à multis, quibus ego etiam meam operam contuli, tum in hoc, tum in tractatu de Conf. prob. ubi multis viis veritatem hanc demonstratam invenies, quidquid Celladeus in contrarium dicit. Casuum autem Collectores hoc ipsum ex unanimi peritorum omnium consensu, atque ex modo, quo de istis tamquam de rebus certissimis & demonstratis loquuntur, tamquam ex medio moraliter evidenti certissimè inferunt.

io 4. 25. Obijcit quartò. Collectores casuum non possunt rectè judicare, ne quidem de probabilitate extrinseca. Ergo ruit responsio, & eorum sufficientia ad ritè judicandum de probabilitate deijcitur. Probatur antecedens. De aliquibus Auctoribus ex fama publica constat, quòd sint graves, sed non constat, quòd omnia ex gravi fundamento constituant. Unde ergo poterit casuum Collector inter hæc discernere. At nisi discernat, casus suos rectè colligere non poterit. Rursus, aliquando Auctores isti graves sibi contradicunt, atque se invicem elidunt. Quid autem tunc faciet casuum Collector? Demum Collectores isti sæpe inveniunt Doctores citatos, quos nunquam viderunt; &, quod plus est, ignorant, utrum illi per transennam, an à fundamentis rem tractarint. Ergo in eo casu non habent probabile definitum & requisitum ab Auctoribus benignæ sententiæ. Ergo temerè agunt, si illorum sententias pro regula proponant. Ergo nesciunt an Auctorem gravem, an casuum Collectorem habeant? Ergo nesciunt an gravem auctoritatem sequantur. Hisce adde, sæpe in citationibus errari, opinionemque gravium Auctorum aliter, quam ipsi sentiant, proponi. Ergo Collector casuum, qui de his nequit discernere, non nisi temerè casus colligit, eosque pro conscientia regula proponit. Ita Celladeus §. 3.

Causæ, ex quibus Summam de probabilitate rectè judicant. Respondeo, sicut ex fama publica constat, quinam sint Auctores graves, ita ex eadem in plerisque constat, quanam gravifundamento ducti tradiderunt. Vel si id immediate ex ipsa fama publica non constet, idiplum evidenter colligitur ex communi aliorum gravium Auctorum con-

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

sensu, aut ex adversariis ipsis, qui, non obstante contraria sua sententia, opinionem talis Auctoris probabilem esse fatentur, &c. Rursus, discrepantia Auctorum extrinsecam opinionum contrariarum probabilitatem non auferit ex mente omnium Auctorum benignæ sententiæ, nisi ipsa probabilitas æquè ac veritas in dubium revoceatur. Ergo quando probabilitas conceditur, aut non controvertitur, certum est, probabilitatem extrinsecam ad ritè operandum ex communi omnium assertione requisitam non deesse. Hæc autem omnia innumeris casibus facile sciuntur, ut patet. Ergo tunc Collectores casuum de probabilitate rectè judicare possunt.

26. Quod attinet ad alios titulos in objectione expensos, illi aliquem locum haberent, si Summistæ adeo ignari fuissent, sicut eos esse ac fuisse insimulat Celladeus. Verum aliter se res habet illi enim ingenio atque industria singulari præditi fuerunt, Auctoresque, quos citant, legisse ac diligenter examinasse præsumendi sunt, nisi ipsi met, ut aliquando solent, oppositum significant. Itaque falsum est, Summistas nescire an illi, quos citant, cursim an datà operâ rem examinarint. Similiter falsum est, eos sæpe nomina Auctorum legere, sed nescire an illi sint. Auctores graves, vel meri Collectores. Crede mihi, Celladee, doctrina & industria non solum comitantur eos, qui Theologica fuso stylo tractant, sed eos etiam, qui compendiosiore via Summas casuum conscribunt. Norunt illi, quam periculosam aleam tractant: sciunt rationem se Deo operis sui reddituros, ideoque, nisi eos scelerosos atque prostituta conscientia homines esse dicas, præsumere debes, eos muneri suo satisfacisse. Nemo enim præsumitur malus, nisi probeatur. At tu nec verbum eorum, quæ hic objicis, probas aut probare potes. Utor argumento tuo. Tu nunquam nosti Collectores istos. Tu illis non cohabitasti. Tu illos discentes nunquam audisti. Tu sedulitatis ac lecturæ eorum testis non fuisti. Unde ergo nosti, eos ignorasse utrum Auctores, quos citant, essent Collectores, vel Auctores graves? utrum cursim an à fundamentis rem tractaverint? Quo ergo fundamento tam audacter contrarium affirmas? Fortasse ipse tu eorum Summas aut non vidisti, aut levi tantum oculo & cursim percurristi. Conscientiam tuam testem appello, nam ipse tu hoc nosti. Cur ergo, si ita se res habeat, non convictos, immo non examinatos damnas? sed demus, te Summas eorum diligenter evolvisse; adhuc in eis nec verbum invenies, unde eos negligentia, ineruditionis, ac inscitia à te objectæ reos esse cognoscas. Plures eorum summos fuisse Theologos notorium est. De sufficientia reliquorum nemo certè ambigit, qui rectum de rebus ac personis iudicium format, quia procul dubio fuerunt viri sufficienti literaturâ ad munus suum debitè implendum instructi, idque ipsum ex ipsis eorum operibus evidenter colligitur.

27. Sed mittamus ista. Esto, non viderint Auctorem, quem citatum inveniunt, aut etiam ipsi citant; esto, nesciant an cursim an data opera quaestionem tractaverint, adhuc habent ex aliis, quos legerunt, unde certum de probabilitate iudicium forment. Huic autem probabilitati sic stabilitæ Auctor ille, vel Auctores illi ignoti ali-quod momentum addunt, ideoque non frustra citantur. Demum nil refert, quòd in istis citationibus aliquando erretur, quia error istiusmodi universim loquendo raro evenit, si sermo sit de

Summistæ non sunt, quales Celladeus eos depingit.

Collectores casuum defenduntur, & Celladeus arguitur.

P errore

errore quoad substantiam. Quod si error istiusmodi aliquando occurrat, ille per alias citationes non vitiosas compensatur, cum illæ absque ista erronea ad intentum abundè sufficiant. Itaque hisce omnibus non obstantibus certum est, diligentem casuum Collectorem, adhibitâ mediocri industriâ, certò scire posse, quæ sint opiniones certò probabiles.

Objectio 5. 28. Objicit quintò. Notum est lumine naturæ, ignaros artis alicujus de illius operibus rectè judicare non posse. Unde axioma est in moralibus, peritos in arte esse consulendos. Sic ignarus artis Medicæ vel Nauticæ nõ potest rectè judicare de aptitudine medicationis aut navigationis adhibitæ. Ergo historici casuum Collectores rectè judicare non possunt de probabilitate opinionum, quas citant; quia tam ipsa opinio, quam fundamenta ipsius, & syllogismi, ex quibus conclusio infertur, sunt propria opera scientiæ moralis, quam ejusmodi historici prorsùs ignorant.

Collectores casuum norunt scientiam moralem. Respondeo, casuum Collectores non esse prorsùs ignaros scientiæ moralis, quia optimè norunt partem ejus reflexam, quæ generalis est, & tradit quomodò conscientia in usu opinionum certò practicè probabiliù ritè formari possit. Hanc partem omnes casuum Collectores probè norunt. Quòd si sermo sit de iis, qui Summas scripserunt, illi non solum reflexam hanc, sed etiam directam scientiæ moralis notitiam habuerunt, quamvis in scriptis suis non hanc, sed priorem solum expresserint, eò quòd minùs periti, quorum intuitu scribebant, solius prioris benè intelligendæ capaces essent. Itaque paritates istæ non sunt ad rem, cum qui sedulum ac diligentem casuum Collectorem consulit, consulat hominem in arte sufficienter peritum, ut patet.

Exemplum Medicinæ ac Nauticæ contra Celladeum facit. Cæterum quod ad Medicinam, Nauticam, aliasque artes attingit, illæ etiam magna ex parte in traditione à peritis hausta consistunt. Qui primò medetur, aut navem gubernat, non à propria experientia, sed à præceptis ab alio traditis regitur. Novimus plures artis Medicæ (saltem in sensu, in quo Celladeum imitati nunc loquimur) prorsùs ignaros qui certissima ac tuta pro pluribus morbis medicamenta à prædecessoribus per traditionem accepta habent, eisque adhibitis mira præstant, etiam in casibus, quos præstantissimi medici desperatos habuerunt. Plures ejusmodi per Angliam sunt scæminæ nobiles, quæ mira medicinæ ac chirurgiæ secreta habent, eaque gratis cum magno miserorum emolumento exercent. Quidni ergo misericordiosissimus Deus pro animorum ac conscientiarum medicina simile quid instituerit? Putandusne ille majorem corporum quam conscientiarum medendarum curam habuisse? Absit. Utrique ille, sed magis huic quam illi consuluit. Cura hæc à Deo præscripta facilis & obvia est; scilicet ut in dubiis ac incertis à peritis consilium accipiamus, nilque agamus, nisi post diligentiam debitam illud certò probabiliter licitum esse invenerimus. Hæc medicina suavis est & facilis, si adfit; noluit autem Deus difficile esse ut adesset; alioquin nobis parum admodum profuisset. Voluit ergo ut ad eam callendam & benè perceptam habendam mediocri doctrina ac industria sufficeret. Hic est communis totius Ecclesiæ sensus, hæc

omnium Theologorum opinio. Sed unus contra omnes Celladeus insurgit; doctrinam hanc, hunc usum, medicinam hanc à Deo institutam rejicit, in quo non minùs conscientis nocet, quam corporibus noceret, si omnium medicamentorum, quæ idiotæ per traditionem à suis majoribus acceperunt, usum è mundo extirparet, eò quòd idiotæ illi artis medicæ sint prorsùs ignari.

29. Sed quidquid sit de aliis artibus, lata est disparitas inter eas & scientiam moralem. Illæ plerumque tales sunt, ut proprium illorum opus non dependeat à varia persuasione operantis. Sic non ideo navis securè dirigitur, quia nauta sequitur opinionem talis alterius famosi nauæ, qui asseric talem directionem esse securam. Similiter non ideo medicina non nocet, quia talis medicus affirmat illam non esse nocivam. At aliter se res habet in moralibus. Ipsæ enim circumstantiæ, quæ in varia intellectûs persuasionem consistunt, pro sua diversitate totam rerum moralium naturam permutant. Eadem actio juxta considerationem moralem alia est, si fiat in dubio; alia, si non obstant cognitione ac persuasionem mali latentis, patretur; alia si vincibiliter, alia si invincibiliter aut probabiliter credatur bona. Hoc enim proprium est operationum moralium, utpote quæ sunt voluntariæ & à natura rationali elicitæ, ut illæ à cognitione intellectûs maxime dependant, unde necesse est, ut eadem actio externa diversam speciem moralem induat, prout à diversa cognitione dirigitur. Porro intellectûs modò directè, modò reflexè, modò temerè, modò prudenter tendit in suum objectum. Ergo necesse est, actionem moralem ab omnibus istis dependere. Inter has conditiones potissima est persuasio certò prudens, ac error invincibilis. Itaque nemo perfectus est in scientia morali, qui solum contempletur naturam objectum, nisi illam reflexè etiam consideret in ordine ad omnes circumstantias intellectuales, à quibus actiones humanæ speciem moralem accipiunt. At tota hæc consideratio reflexa est. Ergo magna etiam moralis scientiæ pars est reflexa. Demùm istæ circumstantiæ reflexæ non ita connexæ sunt cum directis, ut ab illis vel in esse vel in cognosci dependant, ut patet. Ergo reflexa rerum moralium consideratio à directâ earundem consideratione separari potest, & una independentem ab altera addisci. Utraque autem, utpote scientia moralis, ad mores dirigendos utilis est. Ea autem quoad nos utilior, quæ rudibus facilior. Facilior autem rudibus est scientia reflexa circa licitum probabilitum usum, sub hac expressione generaliter sumptum, tum quia certioribus principiis innititur, tum quia Auctores in ea prorsus conveniunt. Hinc viri doctrinæ valde mediocri faciliè & utiliter reflexam hanc scientiam addiscunt, & per eam tam suam, quam alienam conscientiam rectè dirigunt, si à communi Theologorum præscripto, quod ut ex dictis constat non est valde difficile, non recedant. Itaque paritas ab aliis artibus ad scientiam moralem nulla est, quia objectum aliarum artium speciem non desumit à cognitione reflexa, per quam scimus quid alii de illo senserint, &c. secus autem evenit in re morali. Quæ cum clara sint, nec Celladeus alia in hanc rem afferat, ad ulteriora progrediendum est.

Dispar est ratio inter artes & scientiam moralem.

Magna scientiæ moralis pars est reflexa & separabilis à directâ.

Reflexa est facilior pro miris peritis & certior.

QUÆ.